

hominibus Regni nostri Sclauonie salutem et gratiam. Intelleximus, quod nonnulli essent ex vobis, qui decimas vniuersarum frugum, bladorum et aliarum rerum decimari solitarum de bonis vestris fidei nostro Reuerendo in Christo Patri domino Osualdo Episcopo Ecclesie Zagrabiensis prouenire debentes, eo modo, prout antiqua priuilegia dicte Ecclesie continerent, et quemadmodum nos superinde vna cum Prelatis et Baronibus nostris alias Crisii deliberaueramus, soluere et extradare recusarent; in quo ipsi domino Osualdo Episcopo ac Ecclesie sue non modica preiudicia et dampna fuissent hactenus causata. Vnde nos volentes vnumquemque subditorum nostrorum et signanter Prelatos Ecclesiarum Regni nostri, qui cultui diuino continue insistere debent, in eorum antiquis iuribus illibate conseruare, fidelitati vestre harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus receptis presentibus, omnes decimas de bonis vestris eo modo, prout alias Crisii superinde cum Prelatis et Baronibus nostris deliberaueramus, et quemadmodum antiqua priuilegia ipsius Ecclesie Zagrabiensis continent, prefato domino Osualdo Episcopo aut hominibus suis per eum ad id deputatis, sine omni recusa persoluere et persolui facere debeatis. Vbi autem quipiam e vobis secus in premissis facere attentarent, commissimus et presencium serie strictius committimus fidelibus nostris Banis et Vicebanis predicti Regni nostri Sclauonie, vt ipsi vos et quemlibet vestrum ad solutionem huiusmodi decimarum modo premissis faciendam, iuxta contenta Decreti condam domini Sigismundi Imperatoris superinde editi, cum birsagiis trium marcarum ac etiam alia oportuna remedia arctius compellant et adstringant, auctoritate nostra Regia ipsis presentibus in hac parte attributa et iusticia mediante; secus ergo non facturi. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Posonii Sabbatho proximo post festum Beati Francisci Confessoris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo octauo, Regni nostri Anno undecimo, Coronacionis vero quinto.

(Locus Sigilli Regii appressi.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 33.